



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Nicolaus Miles. 24. Decembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

Neque verò se nuptias respuere, modò sponsus Deus esset. Videret ipsa, an hic terræ filio postponendus esset? Nuper adeò se ex Angelis didicisse (& didicerat) dotem huic unicè virginitatem placere, Eois lapillis omnibus chariorem. Itaque in hunc amores suos se transtulisse. Quòd si invaderet VICTORIA, paratam se esse etiam illi hunc conciliare. His & similibus dictis jam dudum parili amore VICTORIA in Christum ferebatur. Quò ergo eum sibi devinciret, misso homine, dotem in paronymphos pauperes profundit, & in exilium acta ad alteras jam nuptias se parat. Jamq; unica purpura nuptialis deerat. Bonum factum! dedit hanç sanguis pro sposo fusus. Ex Adone & Aldelmo.

*Amor rerum terrenarum viscum est spiritualium pennarum. Ecce concupisti, hasisti. Quis dabit tibi pennas ut columba? quando volabis? ubi verè requiescas, quando hic, ubi male hasisti, perversè requiescere voluisti?* S. August. serm. 33. de verb. Dom.

S. NICOLAUS MILES. 24. Decembri.

**H**Anc militum ego periculosissimam pugnam puto, quam cum castitatis hoste Amore pugnant. Nam huic succumbere, quid aliud est, quam triumphos suos vendere? NICOLAO nostro crede, qui cùm in Bulgaros movit Nicephori Imp. auspiciis, ecce priusquam bellum hostis faceret, militi mulier fecit hospitis filia. Ter impetum in castissimum fecit; sed ter NICOLAVS repulit verecundiæ umbone tutus. Poterat ergo ante pugnari victoram canere, solus ex omni exercitu Nicephori vīctor. Etenim sub noctem somnus NICOLAVM in campum producit; videt stantes utrimq;

utrumq; acies, signa signis inferri, viros viris concurrere, scuta scutis, pede pedem hærere. Interea aspicit ex cælestibus ducibus unum, qui decussatis in crucem pedibus, aleam belli regebat, & victoriam ex suo arbitrio dispensabat. Nam cum sinistrum pedem dexter premebat, Romani; cum sinister dextro incumbebat, Bulgari vincebant. Sed & inter cæforum corpora locum vacuum videt, auditq; fatalem eum sibi & commilitonibus suis futurū fuisse, si Veneri heri palmam cessisset. Somnii veritatē cum sole dies ostendit, & strages Romanorum, quibus vincentibus primò, Bulgari ultimò victoriā extorserunt. Tum enim verò NICOLAVS rectius dehinc bellaturus, nomen militiæ religiosæ dedit. In hac tot trophæa posuit, quorū pugnas pugnavit. Illud nobilissimū omnium est, quod NICOLAVS de NICOLAÖ statuit. Ex Meneis.

*Vide quid tibi ante tribunal illud terrificum respondendum sit de eo, quod acceperis in vano animā tuam, & animam talem; si inveniaris nihil egisse amplius de immortali & rationali spiritu, quam quodvis pecus de suo? S.Bern.epist.104.*

## NATIVITAS CHRISTI. 25. Decembris.

**E**uge nox omni die candidior! Vides, quæ nullus dies vidit. Surgit, ecce, non ab undis, sed stipulis Sol meus. Superi! tam propè junctam soli quis umquā lunam conspexit? viden' ut è filii vultu lætiores radios mutuetur maternus oculus? Cæcus sum, nisi in hac nocte amorē Dei mei video: video, video in hoc speculo ruborem meum. Stabulum, stipulæ, panni arguunt: Boreas frigus pectoris accusat: bos asinusque ingratū clamant: loquaces puelli lacrimæ, & è parvo pectore magni